

tam Domini, quam dispensatores dici debent, ut perspicuum est ex parabola de villico iniquitatis, Lucae xvi. et ex Patribus supra citatis, et ex ipsa ratione. Nam Deus omnia creavit, et ejus providentia fiunt homines, aut divites, aut pauperes. Et Deo sine dubio rationem de divitiis suis redditori sunt: igitur secundum voluntatem Dei divitias suas erogare debent. Non vult autem Deus, qui Pater est omnium, et qui mundum creavit in communem omnium utilitatem, ut alii sint ita divites, ut abundant superfluis, alii ita pauperes, ut careant necessariis. Sed vult alios esse divites, alios pauperes, ut illi per misericordiam, isti per patientiam in regnum caelorum ingrediantur. Quare contra Dei voluntatem agunt, et sine dubio peccant, qui superflua retinent. Atque haec est potissima ratio, quam sancti Patres in suis ad populum concionibus adferre solent.

At contra nostram hanc sententiam objici potest, quod Apostolus II ad Corinth. viii. cum hortaretur ad eleemosynam, ait: *Non imperans dico, sed consilium do.* Et loquebatur de eleemosyna ex superfluo: *In praesenti, inquit, vestra abundantia illorum inopiam suppleat.*

Respondeo: vel Apostolus nomine abundantiae, non intellexit superfluum, sed id, quod commode sufficiebat Corinthiis. Nam et illi abundare dicuntur, qui commode vivunt. Vel certe si de superfluo loquebatur, non dixit, consilium do, quia non tenerentur Corinthii donare superfluum pauperibus, sed quia non tenebantur donare iis, qui erant in Hierusalem, ut Apostolus cupiebat, sed poterant, quod eis supererat, distribuere in cives suos Corinthios. Quamvis enim divites non possint sine peccato retinere superflua: non tamen coguntur cuicumque pauperi petenti, eleemosynam facere, sed possunt uni potius, quam alteri dare, dummodo bona fide ea dispensent, quibus, quando, quomodo prudentia et charitas docent, ut S. Thomas monet in Quodlibeto 6. art. 12. ad 1. et 2.

1. B. Cor. viii. 8. — (2) Psal. CXI, 5; Eccl. XXIV.

CAPUT VIII.

Non solum superflua, sed etiam necessaria interdum erogare, vel praecipuum, vel consilium est.

De necessariis naturae, vel personae, an sit eleemosyna facienda, multa disputant Theologi, sed quoniam haec satis accurate traduntur a multis, ac praesertim ab iis, qui casus conscientiae tractant, attingam hoc loco solum capita rerum.

Primum igitur de necessario naturae propriae non videtur eleemosyna fieri debere, nisi forte publica aliqua persona, ex qua salus Reipublicae pendet, in extrema necessitate versetur. Id enim exigit ordo charitatis, ut non diligamus proximum magis quam nos ipsos, nisi forte ex proximi alicujus salute, ut diximus, salus penderet Reipublicae universae.

Secundo, de necessario personae, vel statui, sed superfluo naturae, eleemosyna fieri debet pauperibus necessitatem naturae patientibus. Nam et id postulat ordo charitatis, ut pluris faciamus vitam proximi nostri, quam statum et conditionem nostram.

Tertio, non semper est necesse donare, sed tunc solum, cum egenti neque permutuum, neque per venditionem, neque alia ratione succurri potest. Nam si quis forte uno in loco pecuniis egeat, quibus in alio abundet, satis erit ei pecunias mutuo dare: et hoc ipsum genus est eleemosynae, juxta illud Psal. cxi. *Jucundus homo qui miseretur, et commodat.* Et Eccles. xxix. *Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius* (2). Ubi per vocem, *fenerare*, nihil aliud nisi mutuare intelligendum est. Itaque Tobias, qui multis pauperibus plurima largiebatur, Gabelo tamen egenti, sed alioqui locupletum non donavit, sed sub chirographo pecunias mutuo dedit. Sic etiam, si absque mutuo, sola venditione, necessitati proximorum subveniri possit, id solum praestare debemus, quemadmodum Patriarcha Joseph in summa annonae charitate iis, qui pecunias habebant, non donavit frumenta, sed vendidit.

Quarto, dare in eleemosynam tantum de suis rebus, ut non possit quis deinceps vivere secundum dignitatem proprii status, vitium

est, nisi velit is mutare statum, aut occurrat extrema necessitas proximi, aut gravis necessitas Reipublicae. Debet enim unusquisque pro conditione sua honeste vivere, et famae, atque honori suo consulere. Neque ullo modo decet, cessante necessitate (ut diximus) extrema proximorum, aut gravi Reipublicae, ut qui Doctoris munere fungitur, neque libros, neque vestes, neque alia convenientia proprio gradui sibi retineat: et qui militiam profitetur, arma omnia, et equos, ac caetera instrumenta bellica pauperibus tribuat. Si quis tamen statum mutare velit, et saeculo valedicens ordinem monasticum profiteri incipiat, is poterit, ac debeat juxta verbum Domini, Matth. xix. vendere omnia, et pauperibus dare.

Quamvis autem haec doctrina vera sit, et non solum a S. Thoma in 2. 2. quaest. 32. artic. 6. sed etiam ab aliis theologis communiter tradi solet: tamen quoniam prout sunt homines ad retinendum magis, quam ad largiendum, et plerumque amplificandae necessitates suas, et extenuandae alienas: ideo sententia ista communis restringenda videtur ex parte divitum, et dilatanda ex parte pauperum.

Itaque tunc solum vitium censi deberet, nimis multum de rebus suis proximo largiri, quando valde magnum detrimentum pateretur personalis argenti, et non occurreret proximi necessitas, nisi communis et levis. Contra autem non vitium, sed virtus existimari deberet, liberaliter sua profunderet, etiam cum detrimento proprii status, quando vel gravis occurreret necessitas proximi, vel non adeo grave detrimentum persona dantis pateretur. Certe enim exempla Scripturae et Patrum id nobis apertissime persuadent. Nam vidua illa, quae totum victum suum misit in donaria Dei, non reprehenditur, sed laudatur a Christo, Lucae xxi et Apostolus II ad Corinth. viii. Macedones laudat, quod non solum secundum virtutem, sed etiam supra virtutem eleemosynas fecerint.

Neque repugnat huic sententiae, quod in eodem loco adjungitur: *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Non enim significatur his verbis, non licere aliquid pati, ut succurratur necessitatibus aliorum, sed non debere ita fieri eleemosynam, ut is, qui accipit, fiat ditior, quam is, qui dat; et incipiat, qui pauper erat, habere superflua; qui dives erat, carere etiam necessariis. Ipse etiam B. Apostolus non sine aliquo detri-

mento non solum personae, sed etiam naturae donabat populis id, quod jure exigere potuisset, et labore manuum se, ac suos, ut poterat, sustentabat. Actor. xx. et I ad Corinth. ix.

S. Martinus cum pauperi occurrenti dimidium chlamidis dedit, non superfluum, sed plane necessarium dedit. Nam, ut Sulpitius in ejus vita, cap. 2. scribit, nihil praeter chlamidem, qua indutus erat, habebat; jam enim reliqua in opus simile consumperat. Quam autem id fuerit Christo gratum, testatur idem Sulpitius in eodem loco.

S. Gregorius Nazianzenus, in orat. de obitu Gregorii patris sui, parentem valde commendat, quod non tantum superflua, sed etiam quae necessaria sibi erant, pauperibus largiri solitus esset.

S. Ambrosius, cum non solum omnia sua, sed etiam Ecclesiae sacra vasa conflare, ac pauperibus dari jussisset: de hoc facto suo ita scripsit in 1. lib. de officiis, cap. 28. « Hoc, inquit, maximum incentivum misericordiae, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus, et plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas praestare, vel invidiam perpeti, quam praetendere inclementiam ».

S. Hieronymus in vita Paulae Romanae refert, eam, cum esset alioqui ditissima, ita omnia pauperibus erogasse, ut ne quidem nummum filiae dereliquerit.

S. Paulinus episcopus Nolae, cum omnia quae habebat, in captivorum redemptione, et egentium necessitatibus consumpsisset, ad extremum se ipse dedit in servum, ut alium quemdam a servitute liberaret. Neque hoc ejus factum reprehensum fuisse legimus, sed egregie laudatum a S. Gregorio lib. iii. Dialog. c. 4.

S. Benedictus, eodem Gregorio teste lib. ii. Dialogorum cap. 28, cum videret provinciam, in qua erat, fame graviter laborare, omnia, quae in monasterio reperire potuit, pauperibus erogavit.

Ipse quoque S. Gregorius, cum aliquando pecunias omnes, et vestes, quas domi habebat, pauperibus dono dedisset, argenteum etiam vas, quod unum remanserat, pauperi petenti dari jussit, dicens, male se nihil habere, quam pauperes sine consolatione dimittere. Vide Jo. Diaconum in vita S. Gregorii lib. i. c. 10.

S. Joannes Eleemosynarius, ut in ejus vita

scribit Leontius, ita liberaliter omnia prorsus, quæ habere posset, pauperibus erogabat, ut sæpe mirarentur tam effusam liberalitatem ipsi etiam qui eleemosynam accipiebant. Quibus ille respondere solitus erat: Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus meus Christus.

CAPUT IX.

Quando ex male partis eleemosyna fieri possit.

Restant opes male partæ, de quibus etiam quæri solet, utrum ex iis eleemosyna fieri possit, aut debeat. Sed facilis erit responsio, si illud teneamus, tria esse genera male partorum. Sæpe enim ita sunt male parta, ut injustitia sit tantum ejus qui acquisivit, non ejus, qui amisit, ut cum ex furto, rapina, usura, lucrum accedit. Interdum vero injustitia communis est, tum ei, qui accepit, tum ei, qui dedit; ut cum per simoniam, vel judicii subversionem, vel patriæ proditorem, aliquid acquiritur. Denique, aliquando, nec in dante, nec in accipiente injustitia est, et ideo lucrum ejusmodi non injustum, sed turpe, ac sordidum appellatur, quale est lenonum, meretricum, et histrionum.

Igitur ex rebus male partis primo modo eleemosyna fieri non potest nisi in extrema pauperum necessitate, quoniam eleemosyna ex propriis fieri debet. Res autem male partæ primo illo modo alienæ sunt, ac restitutioni obnoxia. Job. IV. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Proverb. III. *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuorum da pauperibus.* Ecclesiast. XXXIV. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Isa. LVIII. *Frange esurienti panem tuum* (1). S. Ambrosius lib. I. de officiis, cap. 30. « Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si injuste quærat, et juste dispensandum putet ». S. Augustinus serm. 35. de verbis Domini: « De justis laboribus facite eleemosynam ». Et hom. 47. « De justis laboribus jussit (Deus) dari: de rapinis vero prohibuit dari ». S. Gregorius lib. VII. epistolarum epistol. 110. « Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, et iniquitate congeritur; sed quæ de rebus concessis, et bene acq-

(1) Job. IV, 7; Eccl. XXXIV, 21; Isai. LVIII, 7. — Luc. XVI, 9.

sitis, impenditur ». Vide eundem lib. XII. Moral. cap. 24. et Theologos in 4. Sentent. dist. 15. et 16. Quod autem contra objici solet ex verbis Domini Luc. XVI. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis* (2), in 11. cap. exponetur.

Jam vero ex rebus male partis secundo modo, hoc est, cum lucrum est injustum, tam ex parte dantis, quam ex parte accipientis, eleemosyna quidem fieri potest, ac debet, quia lucrum illud ad pauperes pertinet; cum illud neque possit retinere, qui injuste accepit, nec mereatur recipere, qui injuste dedit: tamen ea proprie non tam eleemosyna, quam restitutio dici debet, ut S. Gregorius affirmat loco citato in epistol. 110. lib. VII. ubi disserens de eleemosyna ex lucro simoniaco: « Neque enim », inquit, « eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur ». Et infra: « Unde etiam illud certum est, quia etsi monasteria, ac xenodochia, vel quid aliud de pecunia, quæ pro sacris ordinibus datur construatur, mercedi non proficit, etc. »

Est observandum hoc loco, simoniacum lucrum non semper pauperibus erogandum esse. Sed interdum illi Ecclesiæ conferendum, in cujus injuriam simonia commissa est, de qua re vide titulum de simonia in epist. Decretalibus.

Postremo, de lucro non tam injusto, quam turpi, eleemosyna fieri potest; quamvis Ecclesia justis de causis oblationes non admittat histrionum, lenonum, meretricum, et similium personarum. Id enim facit, tum ob reverentiam rerum sacrarum; tum, ut ejusmodi homines confundantur, et respiciant; tum, ne videatur eorum facta approbare; tum denique, ad imitationem testamenti veteris, in quo lege sancitum erat, ut non offerretur merces prostibuli in domo Domini. Deuteron. XXIII. Rectissime tamen facient isti omnes, si fructus dignos penitentia facere cupientes, peccata sua eleemosynis redimant, et iniquitates suas misericordis pauperum, Daniel IV.

CAPUT X.

Divitas non esse Christianis illicitas.

Exposuimus hactenus quatuor partes disputationis de eleemosyna. Nunc, ut quintam et sextam, id est, quis facere debeat eleemosynam, et cui facienda sit, explicemus: necessarium esse duximus, paucis demonstrare, licitum esse Christianis possidere divitias. Nam cum divitis sit eleemosynas facere, pauperes recipere: si nulli possint esse in Ecclesia divites, sed omnia sint communia omnibus; nulli quoque pauperes esse poterunt. Ita fundamentum eleemosynæ dandæ et accipiendæ nullum erit.

Igitur nemo, quod sciam, in quæstionem vocavit unquam, an jure naturæ et gentium licitum esset habere proprias opes. Tametsi enim Plato in Timæo et in lib. V. de Republica conatus est introducere communionem omnium rerum, etiam uxorum: tamen non docuit, illicitam esse proprietatem, sed communionem utiliore esse judicavit. Quem egregie refutavit ex ethnicis Aristoteles lib. II. Politic., ex Christianis Tertullianus in Apologet. cap. 39.

Cæterum, non defuerunt, qui lege Evangelica divitias, ac rerum proprietatem Christianis interdictas esse contenderent. Ita enim sensit quondam Julianus Apostata, teste S. Gregorio Nazianzeno orat. 4. in Julianum. Ita etiam hæretici, qui Apostolici nominari volebant, teste Epiphano hæres. 61. et Augustino hæres. 40. Ita quoque Manichæi, teste Augustino lib. I. de moribus Ecclesiæ Catholice cap. ultim. Ita denique Pelagiani, teste Augustino in epistol. 89. ad Hilarium, et 106. ad Paulinum. Et quamvis non desint argumenta huic errori, verus tamen atque exploratus est error.

Primum enim Dominus Matth. XIX. petenti diviti adolescenti, quid opus facto esset ad consequendam vitam æternam, non ait, abjice omnes divitias, sed, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (1). Deinde consilium perfectionis, non præceptum necessitatis exposuit, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus etc.*

Secundo, B. Petrus Actor. V. cum Ananiæ dixit: *Nonne manens tibi manebat, et venundatus in tua erat potestate* (2)? Satis aperte

significavit, liberum fuisse Ananiæ, quamvis Christiano, agnum suum non vendere, et pretium agri jam venundati, non offerre Apostolis, neque in commune conferre. Ex quo intelligimus id, quod narratum Actor. IV. de primis Christianis, qui in Hierusalem habitabant, quod nemo suum aliquid diceret, sed omnia essent illis communia; non præcepti, sed consilii fuisse.

Tertio, B. Paulus in priore ad Timoth. cap. VI. de divitibus ita loquitur: *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, facile tribuere, etc.* (3). At certe non decipiebat Apostolus divites, et tamen non eis dicebat, renunciate divitiis.

Quarto, Scriptura passim prohibet furta, imperat reddi debita, jubet solvi tributa, commendat eleemosynas, et laudat mutantes: quæ certe omnia manifeste clamant, a Spiritu sancto non improbari proprietatem, et rerum possessionem.

Quinto, semper in Ecclesia fuit usus collectarum, hoc est, ut Dominicis diebus in conventu Ecclesiæ a divitibus colligeretur, quod pauperibus erogaretur, idque pro arbitrio, et voluntate divitum, ut notum est ex Apostolo I ad Corinth. XVI. et II ad Corinth. VIII. et IX. ex Justino in Apologia ad Antoninum extrema, et ex Apologetico Tertulliani cap. 39. Quod autem in eo loco idem Tertullianus dicit, omnia indiscreta esse apud Christianos, præter uxores, nihil aliud significat, nisi omnia facile, et libenter communicari cum cæteris, præter uxores.

Sexto, Patres communi consensu docent, consilium esse, non præceptum, abdicare a se proprietatem, et dominium rerum suarum. Vide præter cæteros, Eusebium in I. lib. Demonstrat. Evangel. cap. 8. Chrysostomum hom. 8. de penitentia, Ambrosium in lib. de viduis ultra medium, Hieronymum in epist. ad Hedibiam, quæst. 1. Augustinum in epist. 89. qu. 4. et Bedam in comment. cap. XIV. Lucæ.

Postremo, accedat ratio ducta ab utilitate, vel potius necessitate divisionis rerum, ex qua proprietas orta est. Siquidem fieri non potest posita corruptione generis humani, ut pacifice, ordinate, ac diligenter res administrantur, nisi unusquisque rerum suarum curam suscipiat. Nam si omnia essent communia, multi vellent rebus melioribus uti, atque inde rixæ, contentiones, et prælia

(1) Mat. XIX, 17. — (2) Act, V, 4. — (3) I Tim, VI, 17.

orientur, quæ causa fuit, cur Abraham separari coactus fuerit a nepote suo Loth. Genes. XIII. Item si essent omnia communia, qui essent robustiores cæteris, illi sine dubio prævalerent, minus laborarent, et plura consumerent.

Denique si essent omnia communia, vix inveniretur, qui diligentiam adhiberet in agris colendis, et rebus cæteris procurandis. Quod si non solum facultates, sed etiam uxores essent communes, periret virtus pudicitiae conjugalis; incestus plurimi inter fratres et sorores, parentes ac filias sequerentur; liberi denique recte institui nullo modo possent, cum nec parentes agnoscerent proprias proles, nec proles agnoscerent suos parentes, ac per hoc nulla esset providentia parentum erga filios, nulla obedientia filiorum erga parentes. Quis autem credat, legem evangelicam, quæ perfectissima est, et naturam non destruit, sed exornat, de medio tollere voluisse utilitatem, quæ nascitur ex divisione rerum, et incommoda, atque absurda illa adducere, quæ ex communione et confusione nascuntur.

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones.

Adversus doctrinam capituli superioris multa fieri possunt argumenta, quæ breviter solvenda sunt.

Primum argumentum, Matth. XIX. Dominus ait, facilius esse camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum.

Respondeo: difficile, vel etiam impossibile esse divitem intrare in regnum cælorum, nisi magna Dei gratia adjuvetur. Nam ut plurimum divites superbi sunt, voluptuarii, avari, crudeles, et nimium in ipsis divitiis confidentes. Quocirca Marci X. dicitur: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, etc.* (1). Sed quoniam per gratiam Dei fieri potest, ut dives affectum inordinatum erga divitias exuat, et iis bene et sapienter utatur: ideo subjungit Dominus: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum.*

Secundum argumentum, Marci X. Adolescenti, qui omnia mandata servaverat di-

citur a Domino: *Adhuc unum tibi deest, vade, et quæcumque habes da pauperibus* (2).

Respondeo: Adhuc unum illi deerat, non ad vitam æternam parandam, sed ad perfectionem adipiscendam. Id quod ex Evangelio Matthæi, qui pluribus verbis rem eandem descripsit, intelligi potest. Sic enim legimus Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (3). Et paulo post: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc.*

Tertium argumentum, Lucæ XIV. *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (4).

Respondeo: Præceptum hoc Dominicum in præparatione animi servandum est semper, re autem ipsa, cum articulus necessitatis advenerit, ut aut Christo, aut opibus renunciandum sit. Sic enim docent S. Augustinus, in epist. 5. ad Marcellinum, et Beda in hunc locum, et colligitur hæc explicatio ex eodem loco Evangelii, ubi Dominus dicit: *Qui non odit patrem et matrem, et filios, et uxorem, etc.* Et tamen constat, parentes, et filios, et conjuges, nec aversandos, nec deserendos esse, nisi quando causa fidei et honoris Dei tale aliquid postulat.

Quartum argumentum, Luc. XVI. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, etc.* (5). Quem locum ita explicant Chrysostomus hom. 10. in priorem ad Timot. et Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quæst. 1. ut dicant, divitias appellari mammonam iniquitatis, quia primi qui fecerunt sibi propria, quæ erant communia, iniquitatem commiserint. «Necesse est» (inquit Chrysostomus) «opum initium, ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Unde id constat? Ex eo scilicet, quod Deus ab initio non fecit alium divitem, alium pauperem, sed eandem omnibus humum aperuit. Quo pacto igitur cum illa communis sit, tu illius permulta jugera possides, proximus vero nec unius glebæ possessione lætatur? Pater (inquit) mihi ista reliquit. Ille autem a quo ea suscepit? A majoribus scilicet. Sed necesse profecto est per successionis lineam ascendendo invenire principium. Id autem injustitia vacare non potuit». S. autem Hieronymus in epist. ad Hedibiam quæst. 1. dicit, verum esse proverbium: «Omnem divitem, aut esse iniquum, aut iniqui hæredem». Et in epist. ad Algasiam quæst. 6. dicit: «Mammonam vocabulum esse Syriacum, et eo

significari divitias quod ex iniquitate collectæ sint».

Respondeo: Cur divitiæ ab iniquitate nomen acceperint, et iniquæ a Domino appellentur, non ea causa est quod semper injuste possideantur, sed, vel quia valde inæqualiter possidentur, cum alii ditissimi, alii pauperrimi sint; vel quia materiam præbent multarum iniquitatum, imo incitamenta sunt ad omnes iniquitates, ut S. Ambrosius exponit in comment. cap. XVI. Lucæ; vel quia injuste sibi nomen divitiarum usurpant, cum vere divitiæ non sint, ut S. Augustinus docet, serm. 35. de verbis Domini. Et lib. II. quæstionum Evangelii cap. 34. quæ expositio confirmatur ex verbis sequentibus: «Si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis»? Ubi verum opponitur iniquo, quia divitiæ corporales falso vocantur divitiæ, et ideo injuste nomen divitiarum gerunt, quod proprie solis divitiis spiritualibus convenit. Vel denique quia re vera vix fieri potest, ut aliquis sine iniquitate ditescat, ut Chrysostomus et Hieronymus docent: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes, et laqueum diaboli, et desideria multa nociva et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum et in perditionem* (1), ut ait Apostolus in I. ad Timoth. cap. VI.

Nec tamen significant Chrysostomus et Hieronymus terræ possessionem dividere et proprietatem inducere iniquum fuisse, sed in modo divisionis indicant esse peccatum, quod aliqui multo plus terræ occupaverint quam æquum esset, et eo modo alios excluderint. Quo tendit similitudo theatri, qua utitur S. Basilius oratione in illud: «Destruam horream eam». Non enim peccatum est occupare in theatro locum unum, eumque satis commodum, sed occupare plus loci, quam sibi necesse sit; ex quo sequitur, ut alius excludatur. Porro S. Jo. Chrysostomus in eadem homilia 12. in priorem ad Timoth. fatetur, multos esse, qui juste divitias possideant, et ponit exempla Patriarcharum, qui ditissimi simul et justissimi erant.

Quintum argumentum, S. Clemens Papa I. in epistol. 5. disertis verbis communionem omnium rerum necessariam esse docet: «Communis, inquit, vita omnibus necessaria est, et maxime his qui Deo irreprehensibili-

ter militare cupiunt.» Et infra: «Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, et sic inter mortales facta divisio est».

Respondeo: Possent verba citata in bonam partem accipi, ut nimirum intelligamus vitam communem esse necessariam non simpliciter ad salutem, sed ad melius et facilius Domino serviendum. Et per iniquitatem factam esse divisionem rerum, id est, occasione peccati originalis, et communis depravationis generis humani.

Cæterum non est opus in hac re multum laborare; constat enim eam epistolam aut non esse Clementis, aut ab aliquo valde corruptam ac depravatam. Primum enim initio epistolæ fingitur Clemens Romanus episcopus scribere fratribus habitantibus in Hierusalem cum Jacobo. At Jacobus obiit septem annis ante Petrum, et Clemens non fuit Romanus Episcopus nisi post Petrum, ut colligitur ex lib. S. Hieronymi de viris illustribus, et ex omnibus historicis, qui res Ecclesiæ conscripserunt. Deinde, laudat fictitius iste Clemens communionem uxorum, quod Nicolai potius hæresiarchæ, quam S. Clementis dogma fuisse extra controversiam est. Denique, totus hic locus de communione rerum et uxorum translatus est in hanc epistolam ex lib. X. Recognit. ubi ista secundum philosophiam Platonis dicuntur a Faustiano ethnico, et ab ipso S. Clemente refelluntur. Quis igitur credat ea ipsa nunc a S. Clemente tradi Christianis, quæ ipse idem alibi ab ethnico disputata refutavit?

Sextum argumentum, S. Athanasius in vita B. Antonii, et S. Basilius in oratione ad divites, præceptum Dominicum vocant illa verba: *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Et rursus idem Basilius ibidem, et Ambrosius serm. 81. et alii Patres non raro docent, divites non esse Dominos, sed dispensatores rerum suarum.

Respondeo: Athanasius et Basilius recte vocant præceptum Dominicum illa verba: *Vade, vende omnia etc.* Sed intelligunt præceptum esse conditionatum, non absolutum, id est, non omnibus datum, sed iis tantum qui cupiunt esse perfecti. Porro, qui dicunt divites non esse dominos, sed dispensatores, nihil aliud sibi volunt, nisi reddituros esse divites rationem Deo, a quo divitias acce-

(1) Mar. X, 24. — (2) Mar. X, 27. — (3) Mat. XIX, 17. — (4) Luc. XIV, 33. — (5) Luc. XVI, 9.

(1) I Tim. VI, 9.